



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Ioannis Ioviani Pontani amorum libri II.**

**Pontano, Giovanni Gioviano**

**Venetiis, 1518**

Queritur de ingenij tenuitate.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13534**

## AMORVM

Vt cum te roseo ore suauiatur  
Rostrum purpureis premens labellis  
Mellitam rapias iocosa linguam,  
Et tot basia, totq; basiabis  
Donec nectarei fluant liquores.

Queritur de ingenij tenuitate.

Erij montes, & mollia prata, nemusq;  
Et uos carminibus flumina nota meis,  
Quod me tam gracilem uoluistis ferre poetam,  
Indignor, magnæ laudis amore calens.  
Nam mihi iam pridem tenuis agitantur amores,  
Attritamq; sequor uatibus ipse uiam  
Intactos ausus nec dum contingere fontes,  
Arduus & summi carpere montis iter.  
Hic ubi Piërio recubans Lucretius antro  
Conciuit Latio carmina digna sono,  
Ac rarum Siculus fœcundo pectori uates  
Rerum naturæ condidit author opus.  
Sed tamen ante diē quicquid properatur, acerbum est,  
Maturumq; suo tempore quicquid erit.  
Omnia fert ætas, & perficit omnia tempus,  
Nec serum quicquam tempus & hora ferunt.  
Prima uelim teneris intendat amoribus ætas,  
Cantet & ad citharam nostra Camœna suam.  
Ac primum teneros miretur Fannia uersus,  
Quos mea demulcens pectora dictat Amor.  
Lasciumq; prius me sentiat vmbria uatem  
Gaudeat & nostro carmine lector amans.  
Sera meis ueniet, ueniet si fama libellis

In pretio cum sit nostra senecta suo.  
Tunc ego Castalias (uiam modo) pronus ad undas  
Perfundam sancto labra liquore senex.  
Quattuor et referam digesta elementa figuris,  
Primum ignis, post hunc aeris esse locum.  
Terra sit ut media mundi regione locata,  
Nixa suis opibus, pondere tuta suo.  
Interualla tenens distantia partibus aequa  
Bruta quidem, et solido sorte recepta loco.  
Quam pater Oceanus spumantibus abluit undis  
Amplexens, medio dissociatq; freto.  
Sint duo praeterea, quorum sublimis ab arcto,  
Imus ab opposito dicitur axe polus.  
Hos circum immensi uoluatur machina mundi,  
Nec tamen in positum sentiat axis omnis.  
Deniq; gignendis quae nam sine semina rebus.  
Vnde suos ortus edita quaeq; trahant.  
Vnde paucor ceruis, rabies, atq; ira leonum,  
Rauidq; cur cornix, et bene cantet olor.  
Quid calidi fontes hymbri, quid noctibus Hammon  
Ferueat, et medio frigeat usq; die.  
Quem dederit rebus finem natura creandis.  
Centauri nunquid Scylla uel esse queant.  
Cur non luna suo, sed fratris luceat igni.  
Quid uehat et Procyon, quid uehat ortus equi.  
Felices animae fatis melioribus usq;  
Cura quibus primis talia nosse fuit.  
Non illis studium gemmæ, non dira cupido,  
Diuinitus aut auri perniciofa sitis.  
Sed superum casto rimabant pectore templum.

## AMORVM

Quies superis nunc est uita beata locis.  
At mihi seruitum, et tristis iam uita paratur,  
Illaq; libertas pristina surripitur.  
Immatura meæ nec parcunt fata iuuentæ.  
Nec peream, tu me Fannia cara iuua.

## HYMNVS IN NOCTEM.

Ox amoris conscientia, quæ furenti  
Ducis optatum iuueni puellam,  
Grata Dis magnis, et amica blandæ  
Nox bona lunæ.

Quam colunt unam Geniusq; Hymenq;  
Et suo gaudens Erycina nato,  
Cum ferus diras acuit sagittas,  
Tendit et arcum.

O' uoluptatis comes et ministra  
Quæ bona ex te fert thalamus, torusq;  
Quas sopor fert illecebras, iocosq;  
Deliciasq;.

Quas simul iuncti faciunt amantes  
Inter amplexus trepidumq; murmur,  
Inter et ludos, tenerasq; rixas  
Dum furit ardor.

Dum micant linguis, animæq; florem  
Ore deducunt querulo, pariq;  
Concidunt motu, resoluta postquam  
Grata libida est.

Tu quies rerumq; hominum solæ  
Tu grauers curas, et amara fessæ  
Amoues menti, et refoues benigno

Pectora